

lam in Domino quietem optemus dicentes cum Davide, Psal. IV. *In pace in idipsum dormiam et requiescam.*

II. Ubi instituta? Respond. Primo, in domo alicujus Jerosolymitani anonymi, in cujus aedes quidam lagenam aquae bajulabat, ut habent Marcus et Lucas. Voluit ad hunc divertere Christus. Primo, ut ostenderet discipulis, ne solliciti essent de victu quotidiano; adfore suo tempore aliquos etiam ignotos, qui necessaria eis subministrarent: quemadmodum hic paterfamilias forte aliis paratum habebat cœnaculum, Christo tamen adventanti mox concessit. Ita Habacuc ille cibum messoribus suis ferebat, in via tamen interceptus ad Daniele ferre jussus est, Dan. XIV.

Secundo, ut doceret eum, quocum cœnare vult in sancta communione, baptismi aqua et lacrymis contritionis ablutum esse debere a peccatis. Nisi quis aquas istas inferat in domum cordis sui, non divertet ibi Dominus cum gratia et virtute sacramenti sui.

Tertio, ut moneret non attendere se ad personam hominis, utrum ille dives an pauper, nobilis an plebeius, doctus an indoctus sit, qui ipsum hospitio excepturus est, modo fidelis et contritus ac bonæ voluntatis sit; propterea nomen et contritio patrisfamilias minime exprimitur a Christo et evangelistis; quasi nihil id referret.

Secundo, in cœnaculo grandi, strato, ut docent Marcus et Lucas. Fuit autem cœnaculum illud primo typus Ecclesiæ, quæ grandis et toto orbe diffusa est. Deinde strata donis Spiritus Sancti et miraculis et virtutibus exornata.

Secundo, animæ christianæ, quæ cœnaculum Christi, a terrenis rebus elevatum et supernis intentum, deinde magnum et spatiosum ad quoscumque recipiendos non amicos tantum sed inimicos etiam et Judam: denique stratum et ornatum virtutibus esse debet, iis præsertim, quæ in s. communione requiruntur, fide, humilitate, reverentia, charitate, etc.

III. Quo modo et quo ritu instituta sit eucharistia. Resp. Primo, Christus accepit panem azymum, scilicet quali vescebantur Judæi in paschate. Primo, ut veteri se legi accommodaret; secundo, quia ex immaculato virginis conceptu purissimum nulloque inquinatum peccato corpus sumpsit; tertio, ut doceret eos qui hoc mysterium tractant et sumunt, puros ab omni fermento nequitiae et hypocrisis esse debere.

Secundo, accepit panem in manus suas. Primo, in signum omnipotentiae, qua *omnia dedit ei Pater in manus*, Joan. XIII. quoque unum in aliud mutare suoque libitu omnia administrare potest. Unde hic effecit, ut ipsemet seipsum in propriis

gestaret manibus integrum et inconsumptum, tametsi se discipulis traderet sumendum, quod nunquam a sæculo auditum. Itaque cum audis mutari hoc in sacramento substantias, novum subsistendi modum dari accidentibus, corpus Christi non magis ibi occupare locum quam purum spiritum, etc. noli hæsitare, sed credito *quia Pater omnia dedit ei in manus*. Secundo, in signum liberalitatis suæ, qua fideles suos pascit pane eucharistico velut pastor oves: quo modo et universim velut Deus aperit manus suas et implet omne animal benedictione seu pane naturali. Tertio, ad designandos labores, quibus hunc panem nobis lucratus est et quasi manibus suis pinguit in sudore vultus sui.

Tertio, gratias egit. Primo, pro refectioe corporali jam percepta; secundo, pro spiritali jam percipienda in eucharistia; tertio, ut hæc gratiarum actione et benedictione discipulorum animos disponeret ad mysterium, quod præ manibus habebat intelligendum dignaque veneratione sumendum. Non enim hic toti mensæ, sed pani peculiari ratione benedixit, indicans se magnum aliquid et mirum esse patraturum.

Quarto, benedixit panem. Primo, ut eum sanctificaret tantoque mysterio præpararet; secundo, ut discipulos et nos doceret sanctificandum esse prius corpus et animam de hoc mysterio participaturum; ita nimirum ut omni labe et immunditia tanto sacramento contraria careant.

Quinto, fregit. Primo ad indicandam mortem suam qua corpus ab anima ejus paulo post dividendum erat. Pythagoras dicebat: *Panem ne frangito*, hoc est, amicitiam ne dissolvito. Verum quia summa illa amicitia, quæ erat inter corpus et animam Christi, dissolvenda per mortem erat, ideo panem frangere voluit; secundo, ut ostenderet sub una consecrata hostiæ particula æque sumi totum Christi corpus atque sub hostia integra, et tantum esse sub fragmento quantum toto tegitur; tertio, ut insinueret panem eucharisticum non integrum seu inconsiderato, sed comminutum et accurate expensum, esse accipiendum. Veteres ieturi fœdus hostiam mactabant et in duas dividebant partes, atque inter eas transibant, ut scribit Livius, libro 4. et legimus etiam Jerem. XXXIV, quasi is qui fœdus violasset, non secus ac hostia illa medius scindendus esset: jam vero nos cur ad Christi communionem accedimus; nonne ut intime cum eo uniamur? Nonne velut amici ad amicum Deum ire nos profitemur? Viderit ergo qui occultam in pectore gerit simultatem, peccatum inquam, quo velut gladio Deum velit perimere. Sane Judas si, ut volunt aliqui, sumpsit eucharistiam,

indigne sumpsit, ideoque non mirum, si suspensus crepuit medius.

Sexto, dedit discipulis dicens: *Accipite et comedite, etc.* Primo, quia discipuli divino lumine illustrati non fuissent ausi panem accipere vel etiam atrectare, nisi a Christo oblatus et porrectus fuisset. Secundo, ut ostenderet Dominus, quanta charitate seipsum nobis donet; siquidem invitat nos, et hortatur ad manducandum, porrigitque semetipsum.

IV. Quærat aliquis: Qua verborum formula instituta sit. Respondetur primo, panem consecrasse et mutasse in corpus suum his verbis: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, ut refert Sanctus Lucas, seu ut Sanctus Paulus, I. Corinth. XI. *quod pro vobis tradetur*. Habemus hic primo veritatem corporis Christi in eucharistia; ait enim Dominus claris verbis, hoc esse corpus, esse corpus suum, esse illud ipsum corpus, quod pro humano genere passurum sit. Nocturne igitur sunt Sacramentarii, qui soli ad hanc lucem cæcutiunt et impingunt figuram tantum et umbram corporis Domini pro veritate ejus cernentes. Habemus secundo ex vi horum verborum constitutum tantum corpus Christi sub speciebus panis, (similiter ex vi verborum: *Hic est sanguis meus, sanguinem tantum sub speciebus vini, ad designandam ejus mortem, in qua corpus a sanguine separatum fuit*) non sanguinem nec animam. Per concomitantiam tamen, quia Christus jam non moritur, constitui sub iisdem etiam sanguinem, animam et divinitatem Christi. Cæterum si in triduo mortis Domini apostoli consecrassent panem et vinum, sub pane solum Christi corpus, sub vino solum ejus sanguinem habuissent. Habemus tertio constitutam et datam nobis eucharistiam in memoriam passionis Domini. Siquidem addidit: *Quod pro vobis datur sive tradetur*, quo nimirum mortem Domini annuntiemus et memoremus, quoties eum sumpserimus.

Respondeo secundo, vinum consecrasse his verbis: *Hic est sanguis meus, novi et æterni testamenti, qui pro multis effundetur*; sive ut refert Lucas et Paulus: *Hic est calix, novum testamentum in meo sanguine*. Vocatur autem calix seu sanguis Christi (continens pro contento) novum testamentum. Primo, quia novum pactum cum hominibus, de conferenda illis æterna hæreditate per Christi sanguinem confirmavit. In veteri testamento sanguis vitulorum typicus hoc prænuntiavit quando Moyses dimidia parte sanguinis victimarum perfudit altare, quasi ipsum Deum; reliqua parte aspersit populum dicens: *Hic est sanguis fœderis sive tes-*

tamenti quod pepigit Dominus nobiscum, etc. Exod. XXIV. Ad hunc alludit Christus figuræ rem subjiciens. Secundo, quia est legatum novum et admirabile (continens enim sumitur pro contento, testamentum pro legato,) quod præbet nobis jus ad æternam hæreditatem. Confirmatum est hoc legatum et testamentum Christi, morte ejusdem interveniente. Dicitur effundendus pro multis, primo, pro omnibus hominibus (quia etiam omnes sunt multi) quoad sufficientiam, ut omnes possint eum sibi applicare ad salutem suam, si velint: secundo, non pro omnibus, sed pro multis quoad efficaciam: videlicet pro iis qui sibi eum applicabunt, vales sunt electi tantum.

Superest igitur ut visis institutionis hujus circumstantiis, debite nos paremus ad hujus tanti legati dignam perceptionem atque ita e numero multorum sive electorum esse mereamur.

CONCIO V.

ATTRIBUTA DEI IN S. EUCHARISTIA RESPLENDENTIA.

I. Dei potentia. — II. Dei sapientia. — III. Dei bonitas. — IV. Dei charitas. — V. Dei magnificentia. — VI. Dei zelus.

THEMA.

Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Joan. XIII.

Hodierna die peractum est, auditores, quod scribit David, Psal. CX. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus, escam dedit timentibus se*, quando scilicet instituta est a Christo s. eucharistia post cœnam agni typicam; est enim eucharistia memoriale et compendium omnium mirabilium Dei operum. In aliis suis operibus ostendit Deus unam vel alteram proprietatem suam, nunc misericordiam, nunc justitiam, nunc sapientiam, nunc potentiam; at in isto opere ostendit simul multas, et quodammodo effudit arcana divinitatis suæ, sapientiam, potentiam, bonitatem, charitatem, zelum, magnificentiam. Pulchre hoc expressit idem David, Psal. LXVII. cum ait Deum in veteri lege distillasse beneficia sua, in nova vero depluisse. *Deus, inquit, cum egredieris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto, terra mota est; etenim cœli distillaverunt a facie Dei Sinai; (manna videlicet) a facie Dei Israel. Sed qui in nova lege? Pluviam voluntariam (subdit) segregabis Deus hæreditati tuæ, q. d. antiquis patribus dedisti in deserto manna de cœlo, sed per modum distillationis, quia panem corporalem tantum, ostendisti non nisi*

unum vel alterum attributum tuæ divinitatis, bonitatem et potentiam, nec modo prorsus excellentissimo. At in nova lege segregabis tuis fidelibus pluviam beneficiorum maximorum, plurimorum, eamque voluntariam, hoc est, ex mera liberalitate tua præter omne meritum ipsorum. Quando autem magis quæso pluit Deus beneficia, quando magis, quando plura ostendit attributa sua, quam cum dedit nobis manna novum, manna absconditum, corpus et sanguinem suum? Spectemus ergo pluviam istam, nec spectemus solum; sed eadem quoque aspersi et rigati exclamemus cum Hebræis: *Manhu?* Quid est hoc?

I. Resplendet in eucharistia mira Dei potentia: ac primo, in eadem ibidem accidentia panis et vini conservat sine subjecto, seu absque substantia panis et vini. Magnam quidem ostendit Deus potentiam in opere incarnationis, ubi duas naturas, divinam et humanam conjunxit in una Persona divina, adeoque naturam humanam sine sua hypostasi sustentavit. Verum ibi hypostasis divina sustentavit naturam humanam. At hic licet corpus Christi succedat substantiæ panis et vini, non tamen sustentat ut subjectum accidentia eorum. Ita sine omni subjecto mirabili potentia conservat, præbens eis vim existendi per se quasi essent substantiæ.

Secundo, in eo dum verbis consecrationis prolatis mutat rerum naturas, panem et vinum in corpus suum.

Tertio, dum Christus Dominus totus secundum omnem corporis sui dimensionem existit in exigua hostia, imo in quavis ejus particula etiam minima: ita ut non pars ejus respondeat parti hostiæ, sed totus sit in quavis hostiæ parte, præbens corpori suo modum existendi qualem habent spiritus, definitivum, non circumscriptivum.

Quarto, unus et idem Christus simul existit in pluribus locis, per universum orbem, in omnibus scilicet consecratis hostiis et calicibus.

Quinto, fracta hostia sacrata non frangitur Christi corpus, sed in quavis fracturæ particula integrum existit sine læsione.

Sexto, per hoc corpus suum sustentat, alit et sanctificat Christus spiritum nostrum; quod non minus mirum: a carne scilicet secundum se alioquin fragili et corruptibili roborari, ali et sanctificari spiritum, secundum se nobiliorem et incorruptibilem. Præstans quidem et nobilis cibum erat manna; sed nequaquam in eo reluxit tanta Dei potentia. Illud enim ab angelis confectum est: s. eucharistia angelorum vires superat, solius Dei potentia fieri potuit. Manna corpus

quidem refecit, spiritum reficere non potuit. Porro ut hæc tam mira non difficile crederemus dixit S. Joannes in hodierno evangelio: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*, q. d. faciendi quidquid vellet juxta omnipotentiam suam.

II. Mira Dei sapientia ac primò, in eo dum suavissimam et mirandam advenit rationem uniendi se hominibus singulis, ut ipse in illis et illi in ipso manerent, et ex ipso viverent sicut palmites e vitis trunco, dum scilicet panis et vini speciem induit, ut esca et potus illorum fieret. Magnam demonstrat sapientiam, dum in hominis corpusculum se contraxit. Sed quemadmodum Zeuxis subtilissimam Protogenis lineam, altera adhuc subtiliore divisit, ita Christus Dominus, qui per incarnationem maximopere se exinanierat, per institutionem eucharistiæ magis adhuc exinanit, dum ad exiguum panis figuram se constrinxit, in eaque ad nos venire, imo nos subingredi voluit.

Secundo, in eo quod fulgorem majestatis suæ, velo accidentium panis et vini textit, ut ne absterremur ab ejus sumptione ob humanam ejusdem speciem eamque gloriosam et sole splendidiorem, quomodo olim Moyses descendens de monte Sinai et coronatam gerens splendidamque faciem, ita ut filii Israel non possent in eum intendere, posuit velamen super eam, ut cum Hebræis loqui et conversari posset, Exodi XXXIV. Quis coram Christo stare nedum eum manducare posset, si in sua appareret majestate sole rutilantior? Idecirco velum sibi obducit, panis et vini speciem, ut nobiscum agere queat.

Tertio, dum hoc modo revocare nos ad vitam voluit, quo olim in paradiso mortem incurreramus. Per esum ligni vetiti perdidit nos Adam: per esum ligni vitæ, s. eucharistiæ, vivificat nos Christus. Nimis facile credidit Eva serpenti mentienti divinitatem inesse arbori: æquum igitur erat, ut prudenter nos crederemus veraci Dei Filio, asserenti in eucharistia revera esse panem vitæ, corpus suum cum divinitate sua; si credidimus ibi mendaci, credamus hic veraci.

III. Mira Dei bonitas. Primo, dum miro et liberalissimo modo senobis communicavit, dando præstantissimum quod habet, seipsum scilicet cum omnibus bonis et donis suis; quo modo is qui pretiosum alteri scrinium donat, donat etiam gemmas et cimelia, quæ in eo continentur.

Secundo, dum non eo se communicavit nobis ut eum domui nostræ hospitem habere vel instar gemmæ in annulo gestare, vel in altari positum cernere, adorare, alloqui vel exosculari possemus, sed ut manducare nobisque intime unire, et inde in ipsum quoad fieri potest, mutari.

Parthorum reges in more habebant, ut si amicos forte ad ænam invitarent, tractarent velut mancipia. Non enim mensæ particeps erat conviva, verum humi sedens, rege in sublimi lecto recumbente, quod ab ipso projiciebatur, canis instar comedebat ac sæpe ob levem causam virgis cædebatur, et cruore respersus tamquam beneficio accepto gratias agebat, et regem pronus venerabatur, Nicol. Caussin. parab. hist. V. cap. LIX. Non ita rex noster Christus; secum nos assidere facit, secum ex eadem lance edere; imo se in cibum porrigit. Quæ mater hoc unquam filio fecit? Repertæ quidem matres sunt quæ ut vitam suam tuerentur, filios coxerunt, et coctos comederunt, fame perurgente: nulla adhuc reperta est quæ se filio comedendam daret. Atqui Christus istud fecit; tametsi hæc comestio nihil ei adimit.

Tertio, dum non solum hominibus in genere, uti in incarnatione, sed in specie singulis se communicat et sumendum præbet. Unde S. Chrysostomus eucharistiæ sacramentum vocat incarnationis extensionem; quia Christus, qui in incarnatione determinatæ naturæ humanæ se univit, in eucharistia se unit omnibus et singulis eam sumentibus. Per incarnationem Christus cœpit esse inter nos, per eucharistiam cœpit esse in nobis. Per incarnationem factus est unus ex nobis, per eucharistiam factus est quodammodo idem cum singulis nobis quotquot eum sumimus.

IV. Mira Dei charitas. Primo, dum a nobis necessario licet recessurus, manere tamen interim nobiscum voluit. Duo in Christo amores inter se pugnant, unus eum urgebat ut ad passionem pergeret, redempturus nos, deinde ad cœlum ascenderet, assumpturus nos: alter contendebat ut nobiscum in terra maneret. Ut ergo utrique satisfaceret, et abiit ad mortem in cœlum paraturus nobis locum, et remansit interim nobiscum in eucharistia.

Secundo, dum intime nobis uniri et in nobis vivere voluit. Solemus nos quia in amicis vivere, vel amicos in nobis volumus, morientium spiritum haurire. Celebratur quoque a gentilibus Artemisæ Cariæ reginæ amor erga maritum Mausolum defunctum. Hæc enim ut dilectissimum sibi maritum a mortuis quasi suscitaret et vivere in se faceret, defuncti viri cineres vino dilutos bibit, Valer. Maxim. lib. IV. c. VI. Quando ergo Christus Dominus modum excogitavit, quo in nobis viveret, quis non inde colligit immensum ejus amorem?

Tertio, dum a nobis comedi et quodammodo morsu appeti voluit. Delirium videtur esse aman-

II. PARS HIEMALIS.

tis, mordere velle quem amat, quasi tentaret eum comedere. Idipsum tamen, ut S. Chrysostomus scribit, ingentis amoris est indicium. Quos enim amamus, etiam morsu petimus, ut videamur eos velle comedere. Ideo ut S. Job suorum erga se domesticorum amorem ostenderet, ait consuevisse illos dicere: *Quis det de carnibus ejus ut saturemur?* Dixerunt viri tabernaculi mei, inquit: *Quis det de carnibus ejus, etc.* Job XXXI. Quod ergo Job non fecit, hoc noster paterfamilias dulcis noster Jesus fecit, dans nobis ipsammet carnem suam in cibum, ut illa saturemur in signum immensi sui erga nos amoris, necnon reciproci, quem desiderat a nobis, ut optemus ejus carne saturari, quo divino ejus spiritui jungamur. Primò Regum XVIII. dicitur anima Jonathæ conglutinata fuisse cum Davide, ita ut eum Jonathas diligeret quasi animam suam, quare in signum hujus amoris expoliavit se Jonathas tunica sua et dedit eam Davidi, uti et reliqua vestimenta usque ad balteum, quod erat cingulum militare et gloria militum (eo enim discincti exauctorabantur.) Atqui longe adhuc magis debuit nos amasse Christus, qui non vestem suam pretiosissimam, sed carnem adeo suam et quidquid ei conjunctum est, nobis dedit.

V. Mira Dei magnificentia. Assuerus rex ut ostenderet gloriam, magnificentiam, regni amplitudinem et divitias suas, per integrum semestre nobilissimum convivium omnibus sibi subjectis principibus exhibuit; in quo laudat Scriptura S. insigne vinum appositum, ut quod deceret regiam majestatem. *Vinum quoque, inquit, ut magnificentia regia dignum erat, abundans et præcipuum ponebatur*, Esth. Multa alia magnificentiæ suæ symbola edidit Deus, ut cum cœlum et terram creavit, cum Filium in carnem misit; sed in hoc potissimum videtur ostendisse summam magnificentiam, quod eundem nobis dedit edendum et bibendum, adeoque panem et vinum divina magnificentia dignum. Certabat etiam cum Antonio Cleopatra Ægypti reginarum novissima de convivii splendore et magnificentia, cumque ei magnificam apposuisset cœnam (quam tamen irridebat Antonius) unionem seu margaritam, pretii sexcenties sesterium seu ducentorum quadraginta millium aureorum, ab aure detraxit et aceto maceratam absorbit, teste Plin. l. IX. c. XXXV. Verum et hoc nihil est, respectu illius convivii, quod exhibet nobis Christus, in quo carnem suam divinitate unitam et omnibus Spiritus Sancti donis et beatitudinis dotibus decoratam (panis tamen et vini speciebus tectam et quodammodo maceratam, ut comedi possit) nobis apponit. Nero imper. circa funus

Poppeæ amasiæ sæ plus incendit thuris, quam ferat uno anno tota Arabia, auctore Plin. I. XII. cap. XVIII. Ejusdem jumentis delicatioribus aureas induit soleas; apud eundem, lib. XXXIII. cap. XI. Sed vilia et puerilia sunt hæc respectu illius, quod dedit nobis Dominus: quis ergo hinc non arguit quantopere nos amari? Quanta ejus sit magnificentia et divitiæ? Videtur ejus typum demonstrasse nobis Isaac, cum benedicens filio suo Jacob ait: *Frumento et vino stabilivi eum, et post hæc, fili mi, ultra quid faciam?* Promisit autem Deus per Isaiam, cap. LVIII. Ecclesiæ: *Cibabo te hæreditate Jacob.* Quænam vero illa hæreditas, nisi frumentum et vinum? Allegorice corpus et sanguis Christi sub specie panis et vini? Hoc vero tantum donum, tantum matrimonium est, ut nil ultra addi queat, adeoque huic legato suo inscribere potuisset Dominus illud Hercules symbolum: *Non plus ultra.*

VI. Mirus et ferventissimus Christi zelus, quem habuit erga salutem nostram, dum hoc medium invenit, quo ipsemet passionis suæ fructum nobis applicaret; ut ita proprie, non metaphorice solum dicere possit: *Zelus domus tuæ comedit me,* Psalm. LXVIII. Non enim comedit solum et assumpsit ejus honorem, facultates, vitam, dum impulit in mortem; verum etiam revera comestibilem effecit, dum in cibum commutavit, ut salutem et vitam consequerentur ei, qui in Dei domo sunt. « Matres multæ sunt, (inquit S. Chrysostomus, hom. LXXXIII. in Mat. I.) quæ post partus dolores filios alii tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit et per omnia sibi coagmentat. » Si non sitiret salutem nostram, non dedisset nobis tale pignus futuræ gloriæ, quod ipsa gloria majus est. Debet enim pignus pretiosius esse re pro qua datur. Hujus pignoris præstantiam cum optime novisset S. Ludovicus Galliæ rex, ideoque maxima veneratione id semper et adorasset et suscepisset, motus inde gentilis dynasta, Sultanus de Soria, qui Ludovicum, terræ sanctæ recuperandæ gratia in Palæstinam profectum, affinebat captivum, ejusque devotionem sæpius spectaret, dimissurus domum Ludovicum, nullos alios obsides inter cætera pacti fœdera requisivit, nullum aliud pignus poposcit, quam hostiam consecratam, censens eam pluris esse, quam quæcumque regna utpote a Ludovico tanto honore cultam. Refert Greg. Mastrillus, to. XX. conc. ser. LXIV. Videte, quale pignus dedit nobis? Quando ergo auditores, vidimus Dei attributa in hoc sacramento, non jam distillata, sed simul uno quasi impetu velut pluviam effusa; potentiam, sapientiam, bonitatem, charitatem, magnificen-

tiam et zelum; quis hinc non irrigabitur ad ferendos uberes bonorum operum fructus? Quis adhuc aridus manebit in redamando Deo?

CONCIO VI.

AGNI PASCHALIS ESUS, TYPUS S. EUCHARISTIE
SUMPTÆ A CHRISTIANIS.

I. Assumebant vicinos. — II. Immolabant agnum universa multitudo. — III. Immolabant vespere. — IV. In plenilunio. — V. Sanguine tingebant postes. — VI. Edebant carnes nocte illa. — VII. Assatas edebant. — VIII. Cum panibus azymis et lactucis. — IX. Caput cum pedibus, et intestinis vorabant. — X. Nihil ex eo remanere debebat. — XI. Residuum igne comburebant. — XII. In una domo comedebant. — XIII. Non confringebant ossa illius. — XIV. Renes suos accingebant, calceati tenebant baculos, comedebant festinanter.

THEMA.

Et cæna facta, etc. Joan. XIII.

Pictores antequam imaginem vivis illustrent coloribus prius rudibus et umbraticis quibusdam lineamentis describunt. Propositurus nobis Deus in terra imaginem Filii sui, prius eam veteri in lege quasi umbris quibusdam delineavit, postea ad vivum expressurus in nova. Inter alias ejusmodi umbras non vulgaris fuit illa cæna agni paschalis, quam Christus hodierna die prius discipulis exhibuit, postea umbræ corpus, figuræ rem, rudibus lineamentis vivum subiecit colorem, cum seipsum velut agnum, jamjam immolandum, præbuit comedendum in eucharistia, atque ita cœnæ umbraticæ cœnam addidit veram. Quando igitur agni paschalis esus clarissimus et irrefragabilis s. eucharistiæ typus fuit: videamus quam congruenter cæna illa prima representavit hanc secundam.

I. Assumere debebat unusquisque vicinos suos, si familia aliqua non sufficeret ad comedendum agnum; nihil enim de agno superesse debebat, totum absumi voluit Deus. *Propterea hoc præcepit Deus,* inquit Theodoret. *ut fratrum amorem atque erga pauperes misericordiam illos doceret.* Allegorice impletum hoc in Christo, cui per mortem absumendo quasi non sufficerent Judæi, assumpserunt Pilatum et hic Herodem: *Et facti sunt ipsa die amici Herodes et Pilatus.* Nos vero eundem in eucharistia comedimus unitim, quia in ea unusquisque reconciliatus proximo suo, dum de eodem pane participamus omnes in mutua charitatis indicium. Unde olim Chris-

tiani accessuri ad communionem prius osculum pacis sibi mutuo imprimebant. Ad hæc assumimus vicinum nostrum, cum orationi, quæ sola non sufficit ad penetrandum eucharistiæ mysterium, adjungimus fidem, ut exponit Rupertus. Denique cum alter alterum instigamus verbo et exemplo, ut unusquisque hujus mensæ participem se faciat.

II. Immolabat eum universa multitudo filiorum Israel. Allegorice impletum hoc in Christo, quando *surgens omnis multitudo seniorum, principum, sacerdotum et scribarum duxerunt eum ad Pilatum,* ut ait S. Lucas, c. XXIII. omnes præterea coram prætorio presentes petierunt eum a Pilato crucifigi. In nobis hoc verificatur, dum paschali tempore omnes et singuli communicamus. Hæc enim communionem non solum edimus agnum illum, sed et immolamus, dum eum Deo Patri pro peccatis nostris offerimus, præsertim in altari per manus sacerdotis qui totius populi velut legatus omnes representat: unde in missa offerens calicem, non ait; *Offero,* sed *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, etc.* Nemo ergo Christianorum sit, qui paschali tempore non immolet hunc agnum. *Omnis cætus filiorum Israel faciet istud,* dicitur Exod. XII. Omnis ergo Christianorum cætus manducabit suum pascha. Capitale erat Judæis pascha suo tempore intermittere. Dicitur enim Num. IX. de tali: *Exterminabitur anima illa de populis suis, et peccatum suum portabit.* Capitale etiam peccatum est Christianos negligere communionem in paschate.

III. Immolabant eum vespere. A vespera enim incipiebat solemnitas paschæ et aliorum festorum apud Judæos. Allegorice Christus vespere immolavit hodierna die in cæna, instituens eucharistiam: die vero sequente, modo cruento, cum circa horam diei nonam adeoque vespere emisit spiritum. Nos comedimus eundem in eucharistia vespere, dum in novissima mundi hora: *Vespera enim diei finem mundi indicat.* Circa undecimam horam venient novissimi, qui primi denarium vitæ æternæ accipient, inquit S. Hieronymus, in cap. XIV. Marci.

IV. Immolabant eum in plenilunio, seu luna quarta decima quia post hanc diem egredi cæperunt ex Ægypto. Allegorice Christus immolatus est in plenilunio, quia in medio ætatis, juventute scilicet florentissima. Rursum in plenilunio, quia *in plenitudine temporum,* ait apostolus ad Galat. IV. Item quia Christus moriens toti illuxit orbi. Nos eundem spiritualiter in plenilunio manducamus, cum ab operibus tenebrarum per penitentiam præcedentem undique expiati, virtutumque splendore coruscantes ad

ejus communionem accedimus. Hebræi a die mensis decimo servare debebant agnum usque ad decimum quartum: *Servabitis eum, etc.* Ita quoque milites qui Christum crucifixerant, *sedentes servabant eum,* inquit Matthæus, c. XXVII. Nos servamus agnum istum in communionem cum ejus beneficium memori mente custodimus et gratiam in ea perceptam sedulo conservamus.

V. Sumebant de sanguine ejus et ponebant super utrumque postem et in superliminaribus domorum. Quod ideo fecerunt, ut angelus Domini, qui ea nocte percussurus erat primogenita Ægypti, viso agni sanguine in domibus Hebræorum eas pertransiret et immunes a primogenitorum cæde servaret. Allegorice hoc in Christo impletum, quando uterque postis, id est, utrumque crucis brachium, necnon superliminare, id est, suppedaneum, Christi sanguine e clavorum fixuris promanante imbutum est. Mystice hoc fit, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur; domus superliminaris est ipsa intentio, quæ præeminet actioni. *Qui ergo intentionem cogitationis suæ ad imitationem Domini passionis dirigit, in superliminari domus agni sanguinem ponit,* ait S. Gregorius, hom. XXII. in evang. Vel super utrumque postem sanguinem agni ponit, qui sacramentum eucharistiæ et intellectu firmiter credit et memoria passionem ejus recollit: superliminari imponit, qui cordi et voluntati suæ beneficium eucharistiæ inscribit, et in amorem Christi tantique sacramenti exardescit.

VI. Edebant carnes agni nocte illa: præcedente scilicet diem decimam quintam qua exitus de Ægypto parabatur. Allegorice Christus in nocte comestus est, quia eo patiente in cruce tenebræ factæ sunt super universam terram, ita ut dies videri posset in noctem versa. Mystice, nos dum communicamus, *in nocte agnum comedimus, quia in sacramento modo Dominicum corpus accipimus: quando adhuc ad invicem nostras conscientias non videmus,* inquit S. Greg. hom. cit. Rursum in nocte comedimus, quia per fidem Christum in sacramento creditum sumimus, quem oculis non cernimus.

VII. Carnes agni assatas igni comedebant, non crudas, nec elixas; tum quia egressus de Ægypto accelerandus erat (citius autem assatur, quam elixatur caro) tum ut esset sacrificium; tum quia modus ille coquendi erat simplicissimus, nullo alterius saporis pigmento, nulloque fere impendio constans, ideoque etiam antiquissimus. Allegorice Christus in cruce assatus est, tum quia ab eodem humor omnis defluxit aruitque caro ejus, tum quia in veru crucis expansus (sic enim